

tiores vanæ hujus artis ulterius impugnandæ cepit tædium & odium, cum hæc commenta jam exulent ab Astrologorum patria. Quis stultior Astrologo, qui ex ficto astrorum positu de facta mundi creatione differit? Quis audacior, qui universo terrarum orbi olim imminens diluvii tempus ex constellationibus elicere non veretur? Quis tandem absurdior, qui fata Religionum à corporibus cælestibus causari & regi; regnorum interitus, urbium everfiones, domorumque ruinas è Planetarum Aspectibus depro-mi, blaterat? Verum enim vero tenebriones hos tenebris suis relinquere-mus, nisi cum vanissimis harum conjecturarum quisquiliis detestandam impietatem conjunxissent, & Servatorem nostrum O. T. M. qui astris do-minatur, astris subjecissent. Ecce pie Lector, quo impia curiositas viros doctos, Christi religionem nomenque ad unum omnes professos, rapuit? Optimè hic illud Poetæ invertimus:

*Audaces anime, quibus hæc cognoscere primum,  
Inque domus superas scandere cura fuit.*

Pudet celebres istos aliàs viros meminisse, qui ab astris suffragium Christo emendicare tam protervè laborarunt; cum tamen, salva eorum eruditio-ne, à Judicio de Salvatoris nostri admiranda Nativitate, miraculosis factis, sanctissimaque Passione & Morte ferendo sibi temperare potuissent, ne aut-pias Christianorum aures offenderent, aut famosæ Genethliacorum sectæ tam inevitabilem errandi ansam præberent. Hi ipsi divinaculi sunt, quos pro hâc vice, festinante ob alios circumstantes labores calamo, impugna-re apud animum constituimus; sistendo Benevolo Lectori **ERRORES ASTROLOGORUM CIRCA THEMA CHRISTI GE-NETHLIACUM.** Id verò a Te B. L. non in malam partem acceptum iri plane persuasum habemus, nixi illo Casauboni (d) sub initium Exercitat. *Anti-Baron. Doctorum* (inquietis) *errores modeste indicare, non est inju-riam illis facere, sed Deo suam gloriam asserere.* Quod si vero laborem ipsum minus feliciter, & quandoque valde insufficienter pertractatum de-prehenderit, pro Tua Benignitate & Æquitate boni consulas, abs Te B. L. omnibus contendo votis. **JESUS**, cujus sanctissimæ Passionis, Mortis, ac Resurrectionis gratia hæc incepimus, benignus adsit, ut rem ex voto ad finem perducamus.

**CAPUT**

(d) *In Prolegem. Exercit. Anti-Bar. sub lit. e. 3. edit. Genev. an. 1655.*